

D. A. A. 78.

X 1876061

A. A.

n. 1473.

DISSERTATIONEM  
JURIS PUBLICI

II R  
1676

De

# SUBOFFICIALIBUS

S. R. I.

von

des Heil. Römischen Reichs

## Erb-Ambtmännern /

SUB DIRECTORIO

DN. GEORG ADAM STRUVII

CTI summi atque per orbem decantatissi-  
mi, Serenissimorum Ducum Saxo-Vinariensium

Consilarii intimi, Illustrissimi Regiminis & Consist. Ducalis

Jenensis Praesidis eminentissimi, Juridicae Facultatis Ordinarii

gravissimi, Curiae Provincialis & Scabinatus

Affessoris Primarii.

*Patroni ac Mæcenatis sui Magni*

Academicae discussioni

in Actorum Acroaterio

D. JAN. MDC LXXXVI.

*substernit*

A U T O R

HEINRICUS LUDOVICVS Freiesleben / 16.

O. Th.

JENAE, Typis NISIANIS.

417.



VIRIS

*ILLUSTRIBUS, MAGNIFICIS, MAXIME RE-  
VERENDO, CONSULTISSIMIS atq; EXCELLENTISSIMIS,*  
DN. CASPARO HENRICHEN/  
JCTO FAMIGERATISSIMO, HÆREDITARIO IN  
Benndorff &c. ILLUSTRISSIMI REGIMINIS ALTEN-  
BURGENSIS VICE-CANCELLARIO & HAGIOSYNE-  
DEM PRÆSIDI EMINENTISSIMO,

DN. JOH. GEORGIO DÖHLERO,  
JCTO GELEBERRIMO, HÆREDITARIO in Windisch-  
leuba / AULÆ, CAMERÆQVE DUCALIS SAXO-ALTENBUR-  
GENSIS CONSILIARIO LONGE SPLENDIDISSIMO,

DN. JOHANNI CHRISTFRID SAGIT-  
TARIO,

DOCTORI THEOLOGO INCOMPARABILI, VIRO  
IN ECCLESIAE PRÆSIDIUM NATO, SUPERATTENDENTI AL-  
TENBURGENSIUM GENERALI MERITISSIMO, CONSISTO-  
RII IBIDEM ASSESSORI GRAVISSIMO,

DN. FRIDERICO GOTTERO,  
JCTO CELEBRATISSIMO, CONSULI atq; SYNDICO  
REIPUBLICÆ ALTENBURGENSIS AMPLISSIMO,

DOMINIS PATRONIS, PROMOTORIBUS, at-  
que MÆCENATIBVS SVIS RELIGIOSISSIMA ANIMI  
DEMISSIONE ÆTERNUM VENERANDIS,  
EXERCITATIONEM HANC ACADEMICAM  
DEBITUM OBSEQUIOSÆ AC GRATÆ MENTIS TEKMHPION  
NUNCUPAT

HEINRICUS LUDOVICUS Freiesleben.



VIRI

Illustres, Magnifici, Maxime Re-  
verende, Consultissimi atq; Ex-  
cellentissimi,

**N**ubecula nondum satis firma rationis per an-  
nos paululum dimota, perspectisq; eorum, quos  
ob summam eruditionis ac prudentiae perse-  
cutionem in deliciis haberi secula præcipi-  
unt, animi divitiis, palmariam semper felici-  
tatis meae portionem in eo posui, quod Vestri, Viri Magni,  
favoris auram lenius mihi aspirantem senserim; Ita ut ma-  
ximus hinc enatus sit ardor, nancisci occasionem, qua in de-  
missi, gratiq; pectoris declarationem confessorias potis redde-  
rer suspendere tabulas. Imprimis vero ad Tue, Vir Illu-  
stris, Dn. DÖHLERE, benignitatis memoriam mei ebulli-  
unt quasi spiritus, neq; contineri queunt, sed prorumpentes publi-

publico velut praconio illam debuccinare satagent. Tua namq; beneficia in me profusa tam celebria sunt, tamq; multa, ut unice in iis Tuum collocasse videreris negotium. Per integrum quippe septennium tecto Tuo, Tuamq; mensa frui dedisti; Consiliis huc usq; me firmasti, atq; re semper praesto fuisti; Quid? quod, nihil omisisti, quod in meum foret usum, meaq; conduceret saluti. Postulat exinde gratitudinis sacramentum, jubet obsequii necessitas, apertam specialemq; eorum hic facere mentionem, cum summo absq; scelere silentii firmate involvi ea non poterant.

Tanta nunc Vestrorum omnium, Patroni Maximi, benevolentia, tantisq; impulsus benefactis, apud VOS ceu in delubro prudentia, ac faverentia gremio paginas has, non ut donum, sed synagrapham submisso depono mentis cultu, de propensa earum susceptione plane securus, tum quod Vos magno exornare literas sciam aestimio, tum quod me ipsum Vobis non adeo displicere ostenderitis. Sic valete Viri Summi, omnis equi ac boni vindices ac statores optimi; Vobis arbitris, Tutelaribusq; Diis Ecclesia, Resq; publica Vestra inconcussam semper praedicet felicitatem, pretextamque nunquam in paludamentum videat conversam. Dab. Jenae d. 12. Jan. 1686.

PRA'



A. A.

## PRÆLOQVIUM.

**N**ominis maturo ingenii acumine propter vernantem adhuc ætatem nondum instructi, Juris Publici, utpote majoris abollæ studii, atrium ingredientis conatus minus perfecti judicii imò & temeritatis exceptione si elideretur, is debitam fortassis lueret pœnam. Cum enim prudentiam per longum rerum usum adeptis, quibusque publica negotiorum momenta per naturæ ac Superiorum insimul benignitatem ponderare est concessum, penetralium Status publici indagatio propria quasi sit relicta, a seqviori in conditione constitutis frivole illa attentatur; ac digni ii, quorum lapsus promerita expiatur animadversione, ne ea, quæ adultis, expertisq; sacra sunt mentibus, ab inexpertis atque crescentibus sine discrimine detestandæ exponantur profanationi. Atq; hæc satis a meo me arcere potuissent instituto, quo ex Imperialis Sta-

A

tus

tus peno quendam ad solemnem Academicam  
 discussionem revoco materiam. Sed salva res est.  
 Nihil quippe novi, nihilque insoliti moliti  
 sumus, plurimorum secuti vestigia, ac ultra seculi  
 dimidium in Academiis passim receptæ insisten-  
 tes consuetudini, qua studium hoc accuratioribus  
 paulo inspicere coepit oculis, relegata ad Indos ac Ga-  
 ramandes servili multorum opinione Legum Civi-  
 lium cancellos egredi nefas ducentium, nilque nisi mera  
 Ulpiani ac Pauli effata crepantium. Quamvis hæc  
 non adeo crude dicta sunt, quasi omnem promi-  
 scue Juris hujus tractationem liberam esse procla-  
 maremus; sed cum restrictione: Videlicet intimi-  
 ora Status Aulae Ministris relinqvendo notiora  
 tantum nobis vindicamus. Ita non repugnat Pla-  
 tonicum dogma, quo a Legibus Reipubl. earum-  
 que interpretatione vulgus cohibendum tradit;  
*Cum non ad quasvis leges id pertineat, sed duntaxat  
 illas, quarum censuram non admittit publica civilis  
 Societatis tranquillitas, uti egregie explicat Magnus  
 Conringius, Vir immortalitati diu ante mortem  
 consecratus, in antelugio Exercitationibus de Re-  
 publ. Imp. Germ. præmisso. Minime proinde  
 ab his avelli nos passi sumus ausibus, sed immoti  
 persistentes in præsentem augustam inquisivimus  
 Subofficialium materiam. De qua etsi prius in*  
 suo

suo complexu dispicere animum induxeramus, largissimam tamen ipsius messem deprehendentes illico propositum deserendo falcem huic uni admovimus speciei. In votis eqvidem nunc haberemus, eas nobis admetitas esse ingenii dotes, quæ hisce suffecissent; illis vero cum simus destituti, Lectoris faventiæ nos involventes mitiora expectamus judicia, eo magis, quod brevi temporis interstitio fuimus coarctati. Dextram interea porrigimus, fore, ut cuncta, quæ in procinctu abeundi stantes raptim jam elaboravimus, latiora simulque limatiora, annuente Trinuno, viresq; concedente, in conspectum sint proditura publicum.

PARS ANTERIOR

*Generalia sistens.*

THES I.

**S**acram Imperatoris Majestatem suam per amplissimum Christiani Orbis theatrum præminentiam atque autoritatem super omnes circumferre, quis est, qui ve grandi sine piaculo unquam in dubium vocare ausus sit? Videmus nempe, ac fere totus Historicorum, Jurisq; Publici Scriptorum Senatus firmissimis comprobatis testimoniis, alios Christiani nominis Monarchas, vel ipsos, vel ipsorum Legatos præcedentiæ Jus Imperatori nostro, aut ipsius Legatis nunquam præripuisse, utut ali-

quando Liligeri Regis Legatus Cæsaris Nuncio quæstionem de eo movere non erubuerit. Neque tamen hoc prærogativæ splendore inter solos Christiani Ordinis summos Moderatores coruscat, sed apud externos \* quoque ille illibatus ipsi semper fuit conservatus.

\* Sic David Ungnade / Legatus Cæsareus. Portæ Ottomannicæ valedicturus in Divano serius Legato Persico adveniens, hunc primum locum occupasse cum videret, in salutato Turcarum Cæsare discessurus erat: Mechmet Bassa, supremus Consiliarius, hoc observans Persam in subselliis inferioribus sedere iussit. Joh. Leonclav. in Annal. Osmanid. supplem.

II.

Innumeris aliis magnificis non minus supremæ dignitatis trophæis munitum existere Romanum Imperatorem, ad oculum demonstrare, nullius esset negotii, modò ab instituti scopo non abluderemus. Unici adhuc, cætera silentio sepelientes, mentionem injiciemus, quod solennes Curia, Imperii Comititia, atque Imperatorum suppeditant Coronationes. In his etenim tanta pompa, tanta magnificentia, tantoque Principum virorum comitatu res peragitur, ut hinc non leve de præcellentia Imperii Capitis ferendum sit iudicium. Ac imprimis hoc ipsi addit splendorem, quod in dictis conventibus præcipui Germaniæ Duces eidem sua exhibeant officia, propterea dicti *Officiales*.

III.

Qui æque ad augendum tam Cæsareum quam proprium ornamentum, ac ad præmtiorem Curialium officiorum expeditionem suis gaudent *Substitutis*, *Sub-* vel *Vice-officiariorum*, quod ipsorum absentium vices gerere debeant, nomine insignitis. Appellantur etiam Electorum

rum



rum Vicarii, Sub-officiales, des Heiligen Römischen Reichs  
 Erb-Ambtmänner. \*

\* Christoph. Lehmann. in der Speyerischen Chron. Lib. 7. cap.  
 127. quod præcedenti defuncto proximus in eadem familia  
 hereditario jure succedit.

IV.

Eo ipso autem, quo Romano-Germanici Imperii  
 sub-officiales diximus, omnes alios in cujuscunque ge-  
 neris officiis suorum Principalium vices sustinentes vo-  
 lumus exclusos, eos solum, qui Principum, Comitum  
 vel Baronum titulo exornati \* in Curialibus aliisque Pa-  
 negyricis Cæsaris atque Statuum Imperii actibus præse-  
 ditorum Archi-Officialium suppleant locum, indigitan-  
 tes.

\* Vir ælianus, Dn. Svveder in Introd. ad jus Publ. Part.  
 Spec. Sect. 1. Cap. 8. n. 2.

V.

Minime proinde cum iis sunt confundendi, qui Epi-  
 scopatui Bambergensi consimilia præstant officia. Nam  
 utut eorundem officialium, Electorum puta, sint vicarii,  
 tamen hunc Vicariatum non ratione Imperii, sed ipsius  
 Episcopatus intuitu, administrant. Elucescit hinc, quam  
 largiter lapsi fuerint bene multi, \* autumantes Electora-  
 libus non modo officiis, sed & ipsis Electoratus feudis Archi-  
 officiales a Bambergensi investiri Episcopo, cum tamen,  
 ab Imperatore id fieri notius sit, quam quod dici merea-  
 tur. Inde etiam in investiendi formula \*\* munera eo-  
 rum non Archi-Camerariatus, Archi-Marschallatus &c.  
 nomine, sed des Obersten Cammer Amts des Stiffts  
 Bamberg u. s. w. exprimuntur.

\* Vos

\* Quidam ex iis recenset Limnæus in obs. ad A.B. cap. 27. proæm. obs. 7. Plurimum Reverendus Dn. D. Casp. Sagittarius, Historicorum ævi nostri primicerius, vir ad provehendas Musas natus, in quodam Juris publ. Collegio cap. de Electoribus §. 20. & Excellentissimus atque Consultissimus Dn. D. Simon, Præceptor meus summe venerandus, in erudita Dissert. de Jurisdictione territoriali stat. Imper. sublim. cap. 4. §. 4. Quibus ex recentioribus annumerandus Nicolaus Mylerus in not. ad Rumelin. Diss. 5. Part. 3. §. 22. inculpanans Freherum, nescio ob quam confusionem, cum tamen ipse eandem non evitet, dicendo per Vicarios Curialia officia ab Episcopo Bambergensi ut petant, Electores necessum habere.

\*\* de qua videatur Limnæus ad Capitul. Caroli V.

VI.

Imprimis autem diversitatem hanc ipsi diserte demonstrant vicarii, quorum quippe Imperio alii, alii rursus Episcopatus huic sua debent ministeria.\* Atque sunt posteriores ex equestri ordine in Franconia habitantes, \*\* qui dicta officia ab Electoribus in subfeudum recognoscunt. Sic Bohemi locum tueretur Nobilis de *Auffsaß Pincerna*, Palatini quondam nunc Bavari ille *von Pommersfelden* Dapifer, Saxonis ille *von Ebner* Marschallus, non verò ille *von Löser* ceu existimat Gastelius de stat. Europ. publ. c. 8. n. 40. \*\*\* Brandenburgici ille *von Rotenhan* Camerarius, Modernus Palatinus nondum ibi aliquem constituit. \*\*\*

\* Adeatur post Marqv. Freherum ac Goldastum Salanæ hujus quondam Papinianus, Magnif. Dn. Strauchius Diss. 3. Jur. publ. Exoter. *ὀπάρυ* Conringius ad Lampad. Part. 3. c. 4. §. 23. Illustris Dn. Præses, Ictus incomparabilis, omneque laudis præconium innumera in varias Respubl. propter merita dudum supergressus in perennaturo suo opere Syntagm. Feud. Cap. 3. §. 7. n. 10. Excellentiss. Dn. D. Simon in dissert. laudat. l. c. §. 4.

\*\* Ex

\*\* Ex numero Aulicorum Episcopi Bambergensis, teste Viro præclariss. Dn. Svvedero in Introd. cit. loc. §.2.

\*\*\* Sine dubio Gastelii error inde ortus, quod Marschallum Electoratus Saxoniae cum Episcopatus Vice-Marschallo commutaverit. Plerique nimirum Imperii Principes suarum provinciarum respectu quatuor gaudent officialibus hereditariis, Marschallo scilicet, Camerario, Dapifero, ac Pincerna, de quibus Limn. in Comm. ad Capitul. Matthiae. Quoniam igitur Saxonis Marschallus hereditarius est ex Lœseriana propagine, in propatulo jacet, Gastelium pro Marschallo de Ebner perperam posuisse Marschallum de Lœser.

††† Uti existimat Ampliss. Dn. Thulemar de Octovir. cap. 20, n. 23.

VII.

Natales suos nostri unde ducant, ut sit res expedita tantum abest, ut potius sit asserendum, eos eadem certe, quae ipsi Archi-officiales, laborare incertitudine, quae eo major est, quo pauciora de iis posteritati per literas reperiuntur relicta. Risui proinde se exponeret sat condigno, qui in tanto omnium monumentorum silentio huic rei certum assignare temporis punctum vanam sibi sumeret arrogantiam. Satius idcirco erit, ut, ne absque Delio urinatoe æqvori nos commisisse, atque solis divinationibus Archivorum abdita penetrare intentasse audire cogamur, eo abstineamus, expectantes tempora, quibus eorum reclusio manus porriget auxiliatrices, alias omnis opera existet frustranea. Interea non negamus institutionem illorum canosam admodum sapere antiquitatem; Quodque jam tum longo ante suam Constitutionem eminuerint intervallo, ipse non dissimulat Carolus Imperator, inqviens: \* *Datos a Romanorum Principibus & dotatos* (Subofficiales intellige). Hoc Autor Anonymus Consul-  
ratio-

rationis \*\* depraecedentia & Jure der Erb-Nemter und Hoff-Nemter adeo extendit, ut eos multis seculis ante Auream Bullam his officiis fuisse gavissos statuatur.

† Cap. 29. §. 1. Parile prodit Cap. 27. §. ult. verbis. *Sicut autem haecenus observatum fuisse comperimus.*

†† Quam exhibet ex Besoldi Tract. de praeced. & Sessionis praerog. Cap. ult. n. 4. Limnaeus Lib. 3. J.P.C. 7.

IX.

Prouti nunc non paucos suae Originis numerant annos; Ita nec nudius tertius ipsa officia hereditaria esse coeperunt. Docet etenim subscriptio Aureae B. a Friderico II. A. C. 1219. compositae familiam Caladinorum, five Dominorum de Pappenheim tum temporis hoc privilegio apparuisse munitam; \* Simile in ejusdem Imperatoris Pragmatica sanctione 1216. de Vice-Cammerariatu cognoscimus. De reliquis vero sub officiatis num idem pronunciari possit, neque propugnemus, neque et repugnemus, nisi quod quoad Bohemiae dapiferatum prioribus simus ad prius quam posterius eo deducti a Goldasto, \*\* Dominis de Sepf Fridericiano a vo in hoc munere constitutis postea surrogatos Dominos de Limpurg, opinante. Non possumus hinc non, quin a sententia praenobilissimi Dni. Svvederi, cum pace tamen ipsius, paulisper recedamus, existimantes, quae ab eo sunt tradita in Introd. ad I. publ. \*\*\* quasi nimirum Limpurgianum Stemma in Fridericianae sanctionis subscriptione expressum conspiciatur, ex memoratis Goldasti locis exsculpi vix posse. \*\*\*\*

\* Melch. Goldastus in Ration. p. 75. Edit. Francofort. 1607. ubi, quae disjunctim in A. B. proponuntur, conjunctim legenda procul dubio recte reputat.

\*\* In Rational. ad Constit. Imper. l.c.

\*\*\* Part. Spec. Sect. 2. Cap. 5. §. 2.

\*\*\*\* Ver-

\*\*\*\* Verba ejus pro explicatione subscriptionis A. B. hæc sunt  
*Videtur hic legendum Walterus de Sepf, pincerna Imperii, quanquam  
 nihil quod sciam, de hac familia legerim, cui in officio hodie surro-  
 gati vivunt Domini de Limpurg. Dicit, quod hodie sint surro-  
 gati, non Friderici tempore.*

IX.

Perpenſa, quantum licuit, institutionis noſtrorum o-  
 rigine, ejusdem, quos nacti fuere, Autores conſiderabi-  
 mus: Hos vero ipſa ſubminiſtrat Aurea B., (a) quando  
 Subſtitutos Electoribus a Principibus Romanis (b) olim  
 datos fuiſſe atque dotatos, nos docet. Hodie ſecus obti-  
 net, cum Electoribus hæc conſtituendi facultas ſit con-  
 ceſſa, ut, familia Officiatorum deficiente, quamlibet ſuppo-  
 nant aliam. (c) Ubi tamen notandum, id ſine Imperato-  
 ris, nec non reliquorum Electorum conſenſu perfici non  
 debere; quod Palatini exemplo ſatis clare commonſtra-  
 tur, qui Anno 1653. Comites de **Sinkendorff**/ ſuffragan-  
 tibus Cæſare, cæterisq; Archi-Officialibus munere hoc in-  
 veſtivit. (d)

(a) Cap. 29. §. 1.

(b) Quorum appellatione Imperatores hic ſubintelligi extra  
 controverſiam eſt: Alios quippe hac Electoribus tanquam  
 primariis Imperii Statibus Vicarios ejusmodi adjungendi po-  
 teſtate exornatos nuſpiam legimus, Apertiffime potius ex  
 adverſo conſtat, nonnullos Cæſares Romanos Principes ſe  
 appellitaſſe; Inter quos fuere Juſtinianus Procem. ſuarum  
 Inſtitut., Sigismundus in literis ad Concilium Baſileenſe, ceu  
 recenſet Limn. ad A. B. cap. 29. §. 1. obſ. 9.

(c) Limn. l. c. obſ. 8. Add. Dn. Svveder. Introd. l. c. Sect. 1. cap.  
 8. n. 2.

(d) Georg Theod. Dietrich ad A. B. Tit. 27. Clariff. Dn. Thule-  
 mar. de Octovir, c. 18. n. pen.

X.

Quamvis autem tota familia tituli hujus ſplendore

B

con-

conspicua reddatur, teneatq; eam in feudum, (a) nihilo tamen minus præter familiæ Seniores (b) ad obeundum id negotium ex ea nemo admittitur, adeo ut etiam defuncti primogenitus prorsus excludatur. Exemplo rem illustrat Ruperti Imperatoris tempeſtas, qua Erckringerus & Haupto Junior ex Pappenheimiorum gente contenti- onis ferram hac de causa valde inter se reciprocant. Ni- mirum hic patrem suum atque avum ei præfectos fuisse prætendebat; Ille annorum seriem maturiorem ad id se reddidisse objiciebat; Atq; huic decisio robur addidit. Iis- dem institit vestigiis ultima voluntas Comitis de Hohen- zollern (c) qua expresse stemmatis sui natu majori admi- nistrationem hanc addixit, nisi forsitan proximè sequenti sponte eam cedere vellet.

(a) Limn. in Annot. ad Capit. Ferdinandi II. artic. 41.

(b) Idem in Addit. ad J.P.L. 3. c. 7. Sermo equidem ibi tantum de Pappenheimiis, quod vero in aliis quoq; similiter sit pro- nunciandum, testatum ivit testamentum Comitis de Hohen- zollern in hac ipsa thesi adductum.

(c) Limn. ad A.B. c. 27. §. 6. obs. 5.

XI.

Sicuti nunc maxime in absentia aut præpedita præsentia casum adsciti sunt ab Electoribus Sub-officia- les; ita etiam, ea demum existente, quicquid ipsis incum- bit muneris, expediunt. Nempe in Imperii Curia, Comi- tiis, Electorum, Principum, aliorumq; Statuum investitu- ris, Imperatorum Coronationibus, ipsorum pompa fune- bri, aliisque talibus actibus ac conventibus mox insignia Imperatori præferendo, (a) mox ante & in convivio so- lemni Electorum loco sua peragunt officia. (b) Excepe- ris tamen utiq; Vice-Mareschallum, qui, licet præsens fue- rit Archi-Mareschallus, aliis plurimis distentus est nego- tiis.

tiis. Imo si quædam minus solennia atq; genuinam functionis hujus qualitatem non attingentia attendas, eadem de reliquis esto sententia. Quilibet siquidem etiam præfenti suo Archiofficiali ministrat, etsi in quibus consistat hoc ministrandi negotium, tam A. B. quam Commentatores ad eam, aliique Publicistæ, quos evolvi, omnes sic prætereant pede.

(a) Prælationem hanc in templo imprimis, locoq; articulorum cunsultationi exponendorum destinato conspicimus.

(b) Ea ipsa scil. quilibet præstabit, quæ ipsius Archiofficialis præstare est adstrictus.

XII.

Admittendi itaque ad ea omnia, ad quæ ipsi Archiofficiales, si præsentibus essent, admitterentur; Nisi quod solum in convivio ad mensæ accubitus via ipsis æque ac Legatis (a) sit præclusa. Sic in Caroli V. coronationis panegyri stratam Regis Bohemiæ mensam, eo non comparente, misso tamen Legato, ciborum apparatu non fuisse repletam ex Hartmanni Mauri descriptione dictæ coronationis narrat Rumelinus ad A. B. (b)

(a) de quibus clare disposuit Carolus in A. B. c. 28. §. 4.

(b) Part. 3. Diss. 6 §. 9.

XIII.

Quæ cum ita sint, quod nimirum in hisce omnibus absentium Electorum partes subire gaudeant, haud difficulter constat, quanto valore easdem sibi attribuere Legati attentaverint. Neque eos quicquam juvat, quod Dominorum suorum repræsentent personas, ac proinde etiam eorum negotia gerere teneantur. Nam uti in reliquis plerisque ambabus id largimur manibus, ita hac in functione idem asserere, Constitutione publica firmiter prohibemur, utpote quæ solos Subofficiales hoc in casu ea

munivit potestate. Addendæ huic exortarum inter eos hac de re litium Imperatoriæ Decisiones. Sic pro nostris iudicatum fuit in Caroli V. inauguratione, ubi Regis Bohemiæ Legato craterem vino aqua permixto impletum Imperatori ad bibendum porrecturo Sub-Pincerna de Limpurg prælatus fuit (a) Eandem expertus est eodem tempore sententiam Friderici Electoris Saxonie Legatus, Princeps Anhaltinus Sub-Mareschallo de Pappenheim in avenæ distributione postpositus. (b)

(a) Hartm. Maurus de Coron. Carol. V. rubr. qvo apparatu, apud Limn. J.P.L. 3. c. 7. n. 74.

(b) Maurus ibidem apud eundem, qui & aliud ex Arumæo ad A.B. Disc. 6. c. 27. affert exemplum. Addatur omnino Vir consummatissimus Dn. Conringius Diss. de Official. Imp. th. 19.

XIV.

Exempla hæc si quis pro præstis ac obsoletis reputare gestiatur, ablegandus erit ad Ferdinandi IV. Coronationem Anno seculi labentis quinquagesimo tertio peractam, in qua ne latum quidem unguem quoad hoc a prioribus recessum fuisse reperiet. Etenim Legatis Electoris Brandenburgici, Comiteq; de Hohenzollern / ejusdem Vice-Camerario litigia invicem ob id foventibus, posterior tandem insinuata licet antea Imperatori atque Moguntino Directorio a Legatis protestatione, (a) in expediendo prævaluit. (b) Ac nullum de eo restare videtur dubium, cum A. B. (c) Legatos Electorum in tantum excludat, ut ne absentibus quidem Subofficialibus eos admittat, sed quotidianos Aulæ Ministros surroget. Multorum hinc actuum observantia cum Imperiali Lege amice conspirante, vereor ne firmo stent talo, quæ tradit Limnæus, (d) statuens Legatum vices mittentis in hoc officio omnino expedire posse, ideo quod in A. B. (e) dicatur eum ad Curiam

am





am Imperialem ex mandato sui Electoris admitti debere. An vero ab hac admissione ad dictam Curiam argumentatio ad officiorum Imperii administrationem procedat, anque sit casus exceptus ratione mensæ accubitus in convivio, & non potius illa prærogativa ad Electorem quatenus talem pertineat, aliis, quibus de meliori luto finxit præcordia Titan, judicandum relinquo. Neque enim in summa ingenii mei paupertate eam mihi sumo audaciam, ut tantum Virum, quo in conscribendis Juris publici monumentis copiosiore simulque diligentiore vix ullum habemus, nævi cujusdam arguere intentarem.

(a) Hanc exhibet Limn. Addit. ad. J. P. L. 3. c. 7. n. 74. ex qua satis liquet, cæteros Electores unanimi consensu suis Vicariis magis quam Legatis favere.

(b) Doctiss. Dn. Thulemar. l. c. c. 21. n. 11.

(c) Cap. 29. §. 3. verb. *si vero ipsi &c.*

(a) In Obs. ad A. B. c. 27 §. 6. Obs. 23.

(c) Cap. 28. §. 4. verb. *Missus ipse &c.*

XV.

Dixi præcedente thesi, quotidianos aulae Cæsaræ Ministros absentibus nostris substitui. Cognoscendus inde triplex officialium Imperii ordo alter alteri non nomine tantum sed & re ipsa perpetuo respondens. Primus est Archi-Officialium, (a) secundus Sub-officialium Imperii hereditariorum, (b) & tertius Officialium aulae Imperatoris quotidianorum. (c) Horum subsequens semper præcedenti absentis, interdum etiam præsentis, in eodem officii, quo ille cujus locum sustinet, genere supponitur. Nimirum Subofficialis Archiofficiali, illi vicissim simul & huic Officialis quotidianus Imperialis in iisdem plane succurrit munus.

- (a) A. B. Cap. 27. pluribusque aliis locis.  
 (b) A. B. l. c. §. 7. Cap. 29. §. 2.  
 (c) A. B. c. 27. §. ult. cap. 29 § 3. quibus addatur Limn. ad Cap. Ferdin. II. artic. 41. & ab eo citata descriptio status particularis Regiminis Ferdinandi II. Imper. c. 28.

XVI.

Triplicis hujus ordinis postremi eo, quo ipsorum expetuntur officia, non contenti tempore, haud simplici vice secundæ Classi addictis controversiam (a) moverunt, sed multo forte assis infirmiori cum fundamento quam Legati. Lex siquidem Imperialis expresse disposuit, eos non prius substitutionis Jure frui debere, quam si abfuerint ii, quibus in vocabulo vel officio communicant. Nihilominus tamen attentatam functionis hujus aliquoties profecuti fuere prærogativam. (b) Inde ne in cassum abiret hæc sanctio, nequæ Electoralia, quibus munia hæc nexu conjuncta sunt inseparabili, labefactarentur Jura, Ferdinandus II. artic. 41. suæ Capitulationis remedium promisit. In quo pariter sollicitum se exhibuit cum Ferdinando III. & IV. Leopoldus, gloriössimus noster Imperator (cui summus Imperator faustissimos eosque perennes contra Turcicum furorem largiatur successus) Cap. art. 46. (c)

(a) De qua exasciata Anonymi jam supra producta Consultatio ex Besoldo de præced. & less. prærog. Cap. ult. n. 4. a Limnæo T. 1. J. p. L. 3. c. 7. relata, fuse admodum tractat.  
 (b) Plures actus in laudata enumerantur Consultatione.  
 (c) Limn. Obl. ad A. B. c. 27. §. 6. Obs. 25.

XVII.

Brocardicum habemus summa rationis juxta ac æquvitatis lance trutinatum: Nemini suum officium sit damnosum. Nostris idcirco, ne gerant officium, careantque fructu, satis prospectum est ab Imperatoribus cuivis illorum

lorum præter feuda propterea concessa (a) ex relevio Principum (b) feuda suscipientium decem marcas adjudicantibus, adeo, ut quamvis debita munia obire per fonticam causam ipsis, modo præsentibus, non fuerit integrum, tamen ab aulæ ministris locum interea suppletibus impeditorum memoratam laudemii recipiant partem. Manifesto ex his liquet Auream Bullam (b) superioribus Capitulationum versiculis, (c) laborem non vero lucrum dictis ministris assignantibus, nequicquam refragari, cum illi non de qualibet sint capiendi absentia, sed ea duntaxat, quæ Electoris Officiatus quidem præsens est in aula, sed morbo aut alio legali impedimento sufflaminatus stationi suæ satisfacere non potest; Aurea B. vero de ea, quæ in loco conventus plane non comparuit, loquitur. (d) De hac posteriori valet canon; secus de priori, cum ibi per absentem, officio suo fungi, non steterit. Sunt & alia ad quemvis in specie spectantia commoda, de quibus rectius in sequentibus agemus.

(a) non quorumlibet, sed eorum solum, qui pari cum Electoribus ac paucis quibusdam aliis circumvallati sunt xeniorum immunitate.

(b) Cap. 27. §. 6.

(c) Capitul Ferdin. IV. artic. 46. & Leopoldi eod. artic.

(d) Limn. l. c. c. 27. §. 6. Obs. 27.

PARS POSTERIOR

*Specialia contemplans.*

THESES I.

**D**E singulis separatim nunc tractaturi Ecclesiasticorum præprimis huc revocare deberemus subordinatos,

tos, eorumque excutere vicariam negotiorum gestionem. Ast quoniam ipsimet certo quodam ac cuius proprio præditi non sunt munere, frustra quoque apud eos quævis Subofficiales, maxime hereditarios. Si que quis absens est, sua expediunda, solemnem puta typariorum gestationem, & quæ sunt alia, nemini quam præsentis Collegarum proximo committere debet; (a) Quod usque eo procedit, ut neque Capitulum, alias eadem, qua Episcopus, pollens facultate, admittatur. Quæ tamen ita sunt tenenda, ut quidem talem, qualem Seculares, singuli Ecclesiasticorum non habeant Subofficialem, qui esset hereditarius, peculiariq; fungeretur munere. De cætero enim Archi-Cancellariatus respectu per subordinatos, (c) Imperialis videlicet aulae vel Curia Cancellarios olim dictos illis prospicitur. Nostri moribus Vice-Cancellarii Imperii, Reichs Vice-Cansler/ pristina Cancellariorum dignitate & prærogativa in immutato subsistente vigore, appellari consueverunt. (c)

(a) Nicol. Mylerus in Addit. ad Rumelin. Diss. 5. Part. 3. §. 22.

(b) Buxtorff. ad A. B. Conclus. 15. lit. c. Theod. Dieterich ad A. B. Tit. 28.

(c) Buxtorff. l. c. Arumæus ad A. B. hic. Schutz in Colleg. J. P. D. 7. th. 25. lit. a.

(d) Limn. in Obs. ad A. B, c. 27. §. 2. Obs. 4.

II.

Confertur autem iis Vice-Cancellariatus a solo Germaniæ Archi-Cancellario, Electore Moguntino, in cuius potestate positum, eos Imperatori præsentando defunctis supponere. (a) Id sole meridiano clarius ipsissima Potentissimi nostri Leopoldi verba in ipsius Capitul. artic. 40. innunt, ibi: Wir Leopold. &c. Wollen in bestell und Ansetzung unserer Reichs Hoff-Cankelley so wohl mit des Reichs

Reichs Vice-Canklers/als der Secretarien etc. Dem Churfürsten zu Mainz/als Erzkanklern durch Germanien/ in der ihme alleine disfalls zustehender disposition keinen Eingriff oder Verhinderniß thun etc.

(a) Limn. in Obs. ad A. B. I. c. obs. 5.

III.

Potior officii eorum pars in Imperialibus Curiis in sigillorum ac typariorum cura occupata est. Nempe ut ea ArchiCancellariis ad porrigendum Cæsari tradant, redditaq; Moguntino recipiant. (a) Extra publicam hanc pompam in quibusdam insuper aliis sua exercent ministeria; Præcipue, ut diplomata, privilegia, concessiones, pluresq; aliæ Imperatoris literæ his rite corroborentur sigillis, iisdemque nominis sui subscriptione plena fides addatur. (b)

(a) Dn. Svveder. in Introd. ad J. P. Part. Spec. Sect. 1. c. 2. §. 44.

(b) Limn. Obs. ad A. B. I. c. Obs. 6.

IV.

Emolumentum in eos redundans quod attinet, res subdubia videtur, utrum signum Imperii majus simul cum minoribus sibi vendicent nec ne. De minoribus, baculoque argenteo certum est, quod depositione ante Imperatorem atq; restitutione ab eo facta, ipsi cedant ViceCancellario; secus ac non nemo existimat, sigilla hæc in ejusdem custodiam tantum redire. (a) Clarissimis enim Imperator verbis ea cum baculo usibus ipsius beneplacitis attribuens liberam de iis disponendi concessit facultatem. Sed quid de majori sigillo sentiendum? Illud custodia Vicarii sui ab ArchiCancellario tradi magis crederem, innixus §. 2. Cap. 27. A. B., reperitur quippe ibi, super eqvo Curia Cancellario id remitti, eumque Electorem, quem ordo tetigerit portandi hoc sigillum, eqvum

C

eidem

eidem elargiri debere; non vero typarium, cum remissionis ejus solum fiat mentio.

(a) A.B. c. 27. §. 2.

V.

Progredimur ad Seculares, exordiendo a Proto-spatharii, (a) Serenissimi Saxoniae Electoris Subofficiario, Vice-Marschallo (b) des Heil. Reichs Erb-Marschalck. Cujus officium uti est in ordine primum, ita & amplissimum. Splendore ejus familiam Dominorum de Pappenheim olim de Calatin dictam longo abhinc tempore adhuc hodie radiantem cernimus. Supra namque ex Goldasto attulimus, eam jam tum sub Friderico II. Imper. A. C. 1219. in hac dignitate floruisse. Prouti & hoc ibidem asseveravimus, officii huius exercitium soli Seniori ex familia competere: quod itidem in reliquis procedere ex Besoldo memorat Limnæus. (b)

(a) Sic dicti, quod strictum Imperatori præstent gladium.

(b) Secundum Carolinae Constitutionis ductum, quoniam suae functionis qualitas cæteris postponi non patitur.

(c) Ad A. B. c. 27. §. 6. Obs. 15.

VI.

Exerit autem se præcipuus ipsius labor in Comitibus; Evocatus quippe, incertum ab Imperatore, an Electore, in loco illis destinato primum comparere debet, ac adventantibus Statibus, eorumque Legatis diversoria assignare. Pendet hæc assignatio ædium ab ejus arbitrio, modo rationem habeat conditionis Statuum aut Legatorum. Magis hoc observare adstrictus est in Inscriptio- ne, ne in ea cuidam præter suam qualitatem quidvis addat aut detrahat. (a) Deinceps rem annonariam curandam habet, quo exteris pretii, ponderis, mensuræque ratione satisfiat Postea Curiam, in qua Conventus instituuntur,

tuuntur lustrabit, senatumque civitatis admonebit, ne quis in apparatu defectus exoriat. Neq; intermitteret securitati publicæ studere, excubiis nocturnis rite prospicere, totumque Urbis statum ita disponere, ne ullo modo, durantibus ejusmodi actibus, quoddam eveniat periculum. (b) Jurisdictionem præterea exercuit olim in Legatos, eorum familias, aliosque advenas. (c) Indicat denique Statibus diem horamque propositioni Cæsareæ atque Consultationibus definitam, & vota Principum colligit. (d)

(a) Quemadmodum talismodi errorem ab eo circa inscriptionem urbis Brunopolitanæ commissum videmus apud Goldastum Tom. 2. der Reichsstatuten p. 350.

(b) Bertramus de Comitibus Imperii th. 58. multisque seqq.

(c) Cum vero subinde inter eum & Imperiales Civitates ortæ fuerint lites, transactione eas invicem sopiverunt, quam vide apud Bertramum l. c. th. 61.

(d) Eitel Friedrich von Herden in der Grundfeste des Römischen Reichs part. 2. cap. 5.

VII

Minorem in processionibus, aliisque solemnibus pompæ partibus suscipit operam. Nempe Electorem Saxonie strictam gerentem gladium cum vagina præcedit; Et quando Archi-Marschallus equum conscensus in avenam ante Palatium Imperiale effusam prorupit, mensuramque avena repletam baculo argenteo æquatam primo olim venienti dedit famulo, & baculo in avenam fixo, recessit, Vice-Marschallus accedens ulterius avenam distribuit (a) Hodie vero evacuata mensura avenam directioni concedit. (b) Præcedit quoque cum baculo Electorem Bavariæ scutellas carne assata refertas apportantem.

C 2 (c) Absen-

(c) Absente tandem Archi-Marschallo, muneri ejus in omnibus substituitur.

(a) A. B. c. 27. §. 1.

(b) Limn. ad A. B. c. 27. §. 2. Obs. II.

(c) Quod Sprengerus asserit in Jurisprud. publ., Limnæus e contra ipsum Electorem pro Pappenheimio ponit.

VIII.

Cum igitur tanta occupationum circumfusus sit serie, non immerito ipse substitutus alterius enjuscumque substituti, eines Unter-Marschalls (a) ope utitur, præsertim in Comitibus. Commoda atque fructus quos percipit, præter singulis Subofficialibus communes, sunt baculus argenteus, mensura argentea, atque equus, cui Archi-Officialis insedit; Quæ omnia, consueto munere iisdem administrato, sibi capit. (b)

(a) Qualis olim fuit Sixtus Summer apud Limn. de J. P. L. 3. c. 7. n. 73.

(b) A. B. c. 27. §. fin.

IX.

Prolixiores paulisper augustum hoc Vice-Marschalli excussimus officium, multa tamen, ne subsequenter præscinderetur chartæ spatium, studio manserunt intacta. Videri autem ea poterunt apud Sprenger. J. P. L. 3. cap. 7. n. 73. Lib. 9. cap. 1. & Sixtum Sommerum, qui de hoc officio brevem quandam exhibet recensionem.

X.

Vice Marschallum excipit Sub-Camerarius, des heil. Reichs Erb-Cämmerer/cujus munia antiquiori præsertim seculo per multas ambulasse familias, illorum temporum monumenta testantur. Friderico II. Imperante functus illis fuit Diets de Ravensburg; (a) Felice IV. Summo Pontifice sedente Conradus de Windsperg iis præfuit. Aurea Bulla



Bulla mentionem facit Falkensteiniorum familiae. (b) Maximilianus Imperator circa annum 1504. Georgium de Seinsheim Baronem cum masculis heredibus in hoc officio constituit. (c) Hodie Comes vel Princeps de Hohenzollern cum tota familia Vice-Camerarii titulo splendet. (d)

(a) quod patet ex Friderici hujus Sanctione Pragmatica 1216.

(b) cap. 27. §. 6.

(c) Thrasymbulus Lepta de vita Georg. Ludovici a Seinsheim apud Limn. ad A. B. c. 27. §. 6. obs. 6.

(d) Idem in Annot. ad Capit. Ferdin. I. Art. 41.

XI.

Officium suum immediate post Saxonem exhibet, ceu clarum fit ex ipsorum Archi-Officialium ordine. In procedendo, absente Archi-Camerario, Sceptrum defert; In Curiis verò publicis eqvo vectus ad mensam medio in foro positam, argenteam pelvim cum gutturnio & manutergio inde acceptam Imperatori, descensus prius ab eqvo, manibus abluendis porrigit, pelvi post id, gutturnio & eqvo sibi servato. (a)

(a) A. B. c. 27. §. 6.

XII.

Sub-Camerarium sequitur *Magister coquinae*, sive *Vice-Dapifer*, des Heil. Reichs Erb-Küchenmeister oder Erb-truchses/olim Electoris Palatini, hodie autem, mutatione facta, Bavariae Sub-Officialis, qui sub Carolo IV. ex Norbergenstemmate fuit; (a) Dein ad Seldeneccios pervenit hereditaria hæc dignitas; & tandem ad Walpurgos, an die Herrn Graffen von Walpurg und Zeil. Cum enim 1538. Seldenecciana familia defectura videretur Ludovicus Elector Palatinus Dominis de Walpurg in casum defecturae (b) contulit; apud quos adhuc viget.

C 3

(a) A. B.

(a) A.B.c. 27. §. 6. (b) Belold. Part. 6. Consil. 258. n. 4. seq.

XIII. In processionibus, absente Archi-Dapifero, gestat pomum aureum. In Curia loco ejusdem quatuor scutellas argenteas frustis bovis affati refertas è culina (quam eqvo intrat) petitas ante Imperatorem, Saxone vel ejus Vice-Marschallo præeunte, in mensa deponit, sibi postea scutellis & eqvo subinde reservatis. (a)

(a) A.B.c. 27. §. 6.

XIV. Conspiciendum quarto se præbet *Vice-Thesaurarius*, des H. Reichs Erb-Schatzmeister / Archi Thesaurarii novi, Aureæq; Bullæ incogniti Archi-Officialis Vicarius. Hoc officio Familiam de Singendorff 1653. Elector Palatinus investivit; (a) Atq; ex ea Georgius Ludovicus & Johannes Joachimus, Comites de Singendorff eodem, quo investiti, anno in Ferdinandi IV. Regis Romanorum Coronatione novæ suæ administrationis fecere primordia.

(a) Supra part. anterior. th. 19.

XV. Functio Vicarii hujus in missilium sive nummorum aureorum ac argenteorum Imperatoris effigie ac anno dieq; coronationis notatorum sparsione occupata est; Ita tamen, ut eam ab Archi-Thesaurario, si adfuerit, inceptam ille perficiat. Factum id in Leopoldi Imperatoris Coronatione 1658. Verba Descriptionis (a) dictæ coronationis lubeat adscribere: Nach diesem habe sich Chur Pfalz/als Erb-Schatzmeister sambt den beyden Graffen von Singendorff seinen Erb-Schatzmeistern zu Pferde gesetzt / wären 10. oder 12. Schritt von des Römers Thor unter das Volk geritten / und hätten die güldenen und silbernen Krönungs-Münzen ausgeworffen / zu erst der Churfürst allein / hernach dessen Erb-Schatzmeister. Horum missilium partem cum eqvo retinet Vice-Thesaurarius.

(a) Eam mecum communicavit Vir Excell. Dn. D. Sagittarius, Patronus noster æstumatissimus.

XVI. Co-

XVI. Coronidem imponit *Vice-Pincerna*, des *H.* Reichs Erb-Scheneke / Archi-Pincernæ Regis Bohemiæ Sub-Officiatus, ex familia Comitum de Limpurg, qui a tempore Aureæ Bullæ in hunc usq; diem illud munus tenuerunt. Is, omnibus cæterorum Electorum muniis impletis, Cæsareq; jam cibum capiente, eidem sui Regis vice craterem argenteum extra Curiam eqvo accersitum, vinoq; aqua diluto plenum, prægustato antea à se potu, tradit; Scypho una cum eqvo jure domini recepto. (A)

(a) A.B. c. 27. §. 6.

Longe plura addi potuissent, præprimis differentia inter Imperii & Episcopatus Bambergensis Sub Officiales præter adductas aliæ; item an, si vice Sub-Officialis Imperii ex ejusdem familia quis adsit, Legatis vel Officialibus aulæ sit præferendus an non; An Legati his Officialibus perinde ut Sub-Officialibus sint postponendi; Fufius quoque, ut taceamus reliqua, Vice-Mareschalli Officium, indeq; propullulantes fructus fuissent diducendi. Verum tempore exclusi ea, quantum ingenii imbecillitas permittet, futuræ reservamus lucubrationi.

S O L I D E O  
immensa stet gloria!

### Annexa Civilia.

- I. Charta blanca subscribentem & sigillo corroborantem valide obligat.
- II. Judæus ex testamento Christiani legatum accipere potest.
- III. Receptatores eadem cum furibus pœna non sunt afficiendi, sed arbitrarie coercendi.
- IV. Patronus causæ in eadem, cui patrocinator, causa testis esse potest contra clientem.
- V. Legatum, quod scriptor testamenti sibi ipsi adscripsit, non valet.
- VI. Vidua vel uxor ad probationem dotis admittenda est ad juramentum.

Virtu-

24  
11/11  
1676

Virtute nil majus, nec illius quicquam  
Sublimitate augustius: decus famæ  
Quod proximum cœlo feram necat mortem  
Dat sola virtus. Optimus tuæ mentis  
Cultus perenne præmium afferet, laudes  
Extollet, ac lauru caput coronabit.

Cl. Dn. FREISLEBIO U. J. Cultori  
strenuo faustissima quaq<sub>3</sub> precatur  
PETRUS Müller / D. Prof. P.

---

INGenii quando satagis depromere merces,  
Rite Tuis studiis invigilasse doces,  
Musarumque sacris multum impendisse laborem:  
Clara proinde dabit præmia diva Themis.

*Piotate, probitate, modestia, doctrina Præ-*  
*stantissimo Respondenti Auctori ex*  
*animo gratulatur*

CASPAR SAGITTARIUS, D.P.P.

---

FREISLEBI monstra, quæ sit successio vera,  
& patrem referes, & titulos proavûm.  
Demonstra iuris verissima dogmata nobis,  
& TIBI maiores digna brabeia dabunt.

*Cognato amicissimo scrib. hono-*  
*ris ergo*

G. SCHUBARTUS, P. P.



1676

D. M. A.  
h. 1473.

II R  
1676

LIBUS



ichs  
inern/

STRUVII  
decantatiffi-  
-Vinariensium

Consist. Ducalis  
Itatis Ordinarii  
tus

Magni

Freiesleben / 16.

917.



Kodak  
LICENSED PRODUCT

© The Tiffen Company, 2000

KODAK Color Control Patches

Centimetres

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

